

vidi. Hab. in summis alpibus rarissimum. In loco „Pasterze“; in „Messelinwand“; in valli Tirolepsi Täuschnitz prope Kals.

Orthothecium strictum Ltz. Cæspites densi elati (sesquiunciales) aurei. Caules erecti, rigidi, irregulariter ramosi, ramis erectis, julacei. Folia caulina erecta, appressa, eplicata, ovato-apiculata, concava, apiculo brevissimo, enervia, margine erecto integerrimo. Rete generis, laxum, pellucidum. Folia ramulina paulo angustiora. Flores dioeci; folia perichætialia externa brevia, e basi latissima subito apiculata, apiculo recurvo, interna longa, e basi vaginante laxius texta longius apiculata. Archegonia anguste ovata collo subnullo. Flores masculi et fructus ignoti. Hab. in loco „Pasterze“ 7600'.

Hypnum nivale Ltz. Hypno stramineo maxime affine; differt cæspitibus prostratis puris, intricatis, caulibus flaccidis, flexuosis, julaceis, apice subhamato incurvis, foliis constanter multo brevioribus, dense imbricatis. Hab. inter lapides aquæ nivali injacentes prope „dem Peischlager Thörl“ inter Heiligenblut et Kals. 8000'. Cæspites prostrati, puri, aurei, caulibus flexuosis, intricatis densi; caules parce et irregulariter ramosi, rami basi microphylli subnudi, dein julacei, apice subhamato-incurvi. Folia late-ovata rotundato-obtusa, dense imbricata, nervo unico ultramedio; rete Hypni straminei præter cellulas alares paullo majores, numerosiores. Flores et fructus non vidi.

Hypnum Schimperianum Ltz. Muscus speciosissimus, cæspitibus turgescens mollissimis, æneo-olivaceis in rivulis summarum alpium vigens, inter subgenus Limnobium et Hypnum ludens. Hab. ad lapidem in rivulo sub Messelin. 7400'; in rivulis glacialibus sub „dem Hörndlpass“.

Caules elongati molles, parce et irregulariter ramosi undique foliosi; folia mollia, laxè disposita, patentia, late ovata apiculata concava, apice obliquo truncata, integerrima, nervis binis brevibus. Rete e cellulis vermicularibus et brevioribus laxioribus quam in *H. alpestri*, ad apicem brevioribus, rhomboideis vel quadratis compositum. Foliis interposita paraphyllia foliolis concavis, retundatis similia. Flores monoici; feminei minuti e foliis basi angustioribus longius apiculatis, laxius textis, plicatis apice plus minus serratis et archegoniis brevicollibus compositi. Folia perigonalia e basi latissime ovata brevi apiculata, antheridia clavata. Perichætia minuta; folia perichætialia late lanceolata, laxissime texta, pellucida, nervo medium folium attingente, apice serrata; theca in pedicello brevi breviter ovalis, leniter incurva, operculo conico, sicca sub ore constricta, peristomium generis.

Hierauf folgt Fortsetzung der Moosregionen in den Tauern. Von E. Molendo.

Zuerst Allgemeines über die Moosregionen und ihre große Ausdehnung nach der Höhe.

1) Region der Cerealien von 2500—3000'. Aufführung der charakteristischen Arten.

2) Subalpine oder Region der Coniferen. 4400—6200'.

3) Alpenregionen 6200—11,000'.

Bei jeder Region werden noch Stufen als Unterabtheilungen unterschieden und die oberen und unteren Grenzen der einzelnen Arten besonders hervorgehoben.

Den Schluß bildet: Pugillus specierum novarum exoticarum von Dr. P. G. Lorenz.

Andreaea vulcanica Ltz. *A. obovatae* affinis, differt autem habitu graciliore, foliis angustioribus, maxime papillosis, colore opaco. Hab. Von der höchsten Region des Vulcans Gliniča 11,000—12,000'; Boden Trachyt. 12. Decbr. 1858 leg. Moriz Wagner.

(Catharinea) *Atrichum rigidum* Ltz. Foliis siccis haud crispatis, erectis, rigidis inter *Atricha* singularis. Hab. prope Valdiviam Chiles leg. Dr. Krausse.

Polytrichum (Cephalotrichum) *Schmitzii* Ltz. Caulis subhumilis, inferne nudus apice innovationum pulcherrime rosulatus, ex apice innovans; folia polytrichoidea, stricta, nervo latissimo, totum apicem occupante, apice serrata, e basi anguste ovata sensim lanceolata, folia inferiora latiora, breviora; folia perichætialia e basi vaginante subito apiculata. Theca ovalis; operculum e basi depressa mamillatum; peristom: dentes 32, partim bini membrana conjuncti. Hab. Ad urbem Mexico leg. Schmitz.

Polytrichum Chimborassi Ltz. *P. pilifero* proximum, differt foliis brevioribus, siccis erecto patentibus, pilo glabro, colorato, valde fragili terminatis. Hab. Von den höchsten Anden von Ecuador aus der Sierra encillada in der südlichen Umgebung des Chimboraza 9000—10,000' auf Trachyt, Thonschiefer und altem Sandsteine.

Polytrichum juniperinum var. *aequinoctialis*. Colore lurido, seta breviori, foliis basi latioribus, perichætialibus longius aristatis differt. Diversa species mihi non videtur esse. Hab. Vom Vulcane Pichincha aus der Umgegend von Quito 9000—10,000' auf Trachyt.

Polytrichum subflexuosum Ltz. Capsula leviter sexangulari cylindracea incurva inter *Polytricha* singularis, habitu *P. flexuoso* similis. Hab. Probe Mexico leg. Andrieux.

Bryum Valdiviae Ltz. Capsulae colore et indole ad *Bryum Donianum* et affinia spectat, innovationibus autem haud rosulatis, foliis ovato-acuminatis, haud spathulatis *Br. obconico* proximum videtur, a quo tamen habitu graciliore, foliorum margine

tenuissimo, apiculo flexuoso, pedicello purpureo, operculo acuto discedit. Hab. prope Valdiviam leg. Dr. Krausse.

Bryum elegantulum Ltz. Bryo atropurpureo proximum, differt habitu graciliore, foliis latioribus, brevioribus, reti brevioris, molliore, colore opaco; capsula minore haud purpurea, haud sub ore constricta, operculo conico. Hab. Prope Valdiviam leg. Dr. Krause.

Bryum Roscheri Ltz. Bryo pachythecae et pseudopachythecae proximum; differt autem a priore habitu graciliore. Theca in pedicello graciliore brevior, minor, multo obscurior, operculo exacte hemisphaerico praedita, peristomium internum valde granulatum, haud hyalinum, folia molliora, nervo rigidiore praedita. Hab. In solo sabuloso prope Zanzibar amicus Roscher praemature defunctus legit cum *Pottia* (*Hyophila*) *Roscheri* et *Pottia* (*Hyophila*) *papilli-nervi*.

Dicranum (*Leucoloma*) *Ekloni* Ltz. — *D.* *Sprengeliano* proximum, distat autem statura robustiore, multis ramulis intra folia occultis fasciculata, foliis vix homomallis, haud falcato secundis, cellulis alaribus paucioribus, minoribus, ceteris multo magis elongatis. Hab. In monte Tabulari Capitis Ronae Spei leg. Eklon.

(*Dicranum*) *Campylopus Vitzliputzli* Ltz. Foliis caulium sterilium patentibus laxè imbricatis soli *C.* *exasperato* affinis, a quo autem jam foliis omnibus longe apiculatis distat. Hab. Ad urbem Mexico leg. Schmitz.

(*Dicranum*) *Campylopus purpurascens* Ltz. Muscus subsingularis. *A. C.* chlorophylloso proximo differt: colore pulcherrime purpurascente, foliis partim piliferis omnibus, margine pellucido in basi, (quo *C.* chlorophyllosus gaudet) carente. *A. D.* bicolore jam foliis acutis vel piliferis differt. Hab. In humo sabuloso, partibus vegetabilibus intermixto in Cap. B. S. leg. Eklon.

(*Dicranum*) *Campylopus Rabenii* Ltz. *C.* *arctocarpo* Hsch. proximum differt foliis e basi latissima, inflata, e cellulis amplis pellucidis, serius purpurascens composita, subito angustatis, angustissime subulatis. Hab. In Brasilia leg. Raben.

(*Dicranum*) *Campylopus trichodes* Ltz. *C.* *longipilo* affinis, differt: floribus foemineis magis aggregatis et comam multo crassiorem efformantibus; foliis inter se magis diversis: caulinis in basi innovationum minutis, comalibus multo latioribus, nervo tenuiore, reti in basi folii multo laxiore, hyalino. Hab. In monte Tabulari Cap. B. S. leg. Eklon.

(*Dicranum*) *Campylopus subtricolor* Ltz. *C.* *tricolori* C. Müll. (*Bot. Zeitung* 1853, S. 38) proximus, differt caulibus robustioribus, subscopariis, foliis erecto-patentibus (haud appressis) omnibus majoribus, basi latioribus. Hab. India orientalis; leg. ?

(Dicranum) *Campylopus Crishna* Ltz. *C. erythrognaphalo* C. Müll. (Bot. Zeitung 1853, S. 37) proximus; differt foliis brevioribus e basi longiore brevius acuminatis, latius costatis, strictioribus ramis adventitiis elongatis, quibus *C. erythrognaphalon* gaudet, deficientibus. Hab. India orientalis; leg. ?

(Dicranum) *Campylopus Civa* Ltz. *C. nodifloro* C. Müll. (Bot. Zeitung 1853, S. 38) habitu simillimum; differt foliis omnibus piliferis, pilo asperrimo, brevioribus, superiorum foliorum nervo e lamina emarginata in pilum longissimum excedente. Hab. India orientalis; leg. ?

Dicranella subclathrata Ltz. (*Angstroemia* C. Müll.) Ex habitu inter indigenas *D. pellucido* subsimilis, inter exotica *A. clathratae* Hook. ex animadversione clariss. C. Müller (quam vero non vidi) a qua autem jam foliis integerrimis et theca inclinata recedit. Hab. Prope Valdiviam leg. Dr. Krausse.

Dicranella subinclinata Ltz. (*Angstroemia* C. Müll.) *A. bicolori* proxima, differt colore sordide-viridi, opaco, haud sericeo, habitu rigido, foliis magis subito apiculatis, superioribus angustioribus, nervo crassiore, capsula haud gibbosa, nec incurva in pedicello subinclinata. Hab. In terra rubra argilloso-arenacea prope Panama leg. Moritz Wagner.

Bartramia glauca Ltz. *B. ithyphyllae* proxima, differt autem foliis majoribus, e basi solidiore, brevioribus lanceolatis, longissime aristatis, arista fragillima. Hab. Mexico; leg. ?

Calymperes Wullschlaegelii Ltz. *C. Crügeri* proximum differt foliis brevioribus, latioribus, margine non incrassatis, nervis secundariis non marginem folii efformantibus, sed juxta marginem percurrentibus. Hab. In Paramaribo (Surinam) leg. Wullschlaegel; a Hermann Kegel in Surinam (primo), nuper a cl. Mayrhoft (1859) in St. Domingo lectum.

Pottia (*Hyophila*) *Roscheri* Ltz. *A. P. spathulata* proxima foliis ligulato-lanceolatis, basi non attenuatis, non spathulatis, longioribus, robustioribus, reti minutiori, magis opaco differt. Hab. In insula Zanzibar leg. Roscher.

Pottia (*Hyophila*) *papillinervis* Ltz. *P. inflexae* C. Müll. (*Gymnostomum inflexum* Tayl. Journ. of Bot. 1846) proxima, sed foliis multo minoribus apice rotundatis, reti multo minutiore, magis opaco et ramificatione subsimplici (cum *P. inflexa* innovationibus plurimis fasciculatis microphyllis gaudeat) nervo denique valde papilloso optime diversa. Hab. In insula Zanzibar leg. Roscher.

(*Trichostomum*) *Leptodontium sulphureum* β *Panamense*. *L. sulphureo* colore, habitu et reti foliorum simillimum, solummodo differt foliis omnibus majoribus, omnibus valde crispatis. Hab. Prov. Chiriqui in Panama leg. M. Wagner.

Barbula flaccidiseta Ltz. *B. gracili* affinis, sed multo tenerior, colore læte viridi, foliis minoribus, laxius textis, perichæcialibus subito apiculatis, apiculo longissimo, cirrhato. Præterea primo intuitu differt pedicellis longissimis, flaccidis, supra flavis, capsula longa angustissime lineari. Hab. Ad urbem Mexico leg. Schmitz.

Barbula Laureriana Ltz. *B. xanthocarpæ* C. Müll. praxima; differt habitu multo robustiore, caule ramoso, foliis densius imbricatis, minus reflexis, basi multo latiore, nervo in mucronulum acutum excedente instructis, siccis distinctissime spiraliter circa caulem tortis, haud, ut in illa specie fragillimis. Hab. Cap. B. S. In monte Tabulari leg. Eklon.

Barbula vulcanica Ltz. *B. spirali* valde affinis, differt autem foliis oblique apiculatis angustioribus, longioribus, basi anguste reticulatis pellucidis, quam *B. spiralis* foliis erecto-apiculatis, brevioribus, latioribus, basi quadrato-rotundato-firmo-areolatis, ad nervum solum laxius reticulatis, pellucidis gaudeat. Hab. Am Vulcane Imbabura prov. Cordilleras in Ecuador 9000—12,000' auf Trachyt und trachytartigem Tuffe April 1859 leg. M. Wagner.

Zygodon Kraussei Ltz. *Z. brachyodonti* (Linn. XXVIII, p. 210) proximus, differt autem foliis omnibus longioribus, angustioribus (ligulatis), supra opacis, multo magis papillosis, basi cellulis magis elongatis, nervo ante apicem evanido instructis, operculo recto, breviori. Hab. Prope Valdiviam leg. Dr. Krausse.

Zygodon filiformis Ltz. Habitu *Z. Preissiana* Hpe. et *Z. tristicho* (Bot. Zeitung 1858, p. 764) similis, foliis autem plurifariis, udis non reflexis, spathulatis vel ovato-acuminatis, obtuse apiculatis, supra serratis toto cælo distat. Hab. Vom Vulcane Imbabura prov. Cordilleras im Ecuador 9000—12,000' auf Trachyt und trachytischem Tuffe April 1859 leg. Moritz Wagner.

Orthotrichum Wagneri Ltz. *O. recurvanti* Schpr. proximum, differt autem statura robustiore, capsula brevius exserta, angustiore, solidiore, plane estriata, brunnea, calyptra valde pilosa, foliis subito apiculatis (non sensim in apiculum longum, ut in illa specie protractis), solidioribus. A *O. pycnophyllo* jam foliis siccis et udis recurvis, capsulæ forma et calyptra differt. Hab. Von der höchsten Region des Pichincha bis an die Schneegrenze 13,500—14,5000' auf Trachyt und vulcanischer Asche. Mai—Juni 1859 leg. M. Wagner.

Brachysteleum Reichenbachianum Ltz. *Br. polyphyllo* proximum, a quo autem differt habitu graciliore (haud, ut in illo, subscopario) foliorum cellulis minutioribus, magis incrasatis, margine in apice argutius serrato, pedicello brevi, cap-

sula anguste cylindracea, calyptræ apice scabro. Hab. Ad urbem Mexico leg. Schmitz.

(Grimmia) *Rhacomitrium Capense* Ltz. Rh. protenso habitu similis, a quo autem jam foliis acutis, haud apice rotundatis differt, folia species nostræ *G. lamprocarpæ* foliis multo angustiora, strictiora, subfalcata, haud erecto-appressa, cellulis minus incrassatis in cellulas alares quadratas abeuntibus, fructus robustiores, atro-brunnei. Hab. Ad Cap. B. Sp. leg. Eklon ad cortices arborum.

(Grimmia) *Rhacomitrium vulcanicum* Ltz. habitu Rh. lanuginoso haud dissimilis, a quo ceterum pilo stricto integerrimo toto cælo differt, a *Gr. crispipila* (Tayl.) foliis lanceolatis, pilo plano integerrimo differt. Hab. Von der höchsten Region des Vulcans Tlinitza 11,000—12,000', Boden Trachyt (mit *Andreaa vulcanica* durchwachsen) 12. Dec. 1858 leg. Moritz Wagner.

Mniadelphus Kraussei Ltz. Mn. rotundifolio (Hook.) (quem non vidi) proximus videtur, differt autem foliis integerrimis, nervo apicem fere attingente. Hab. Prope Valdiviam leg. Dr. Krausse.

Fabronia Wullschlaegelii Ltz. A *F. Gardneriana* simili differt foliis distincte, superioribus fere fimbriato serratis, cellulis longioribus, angustioribus, nervo breviori, perichætio minuto, foliis perichæatialibus minutis, appressis. Hab. Apud Bethabaram Jamaicae leg. Wullschlaegel 1849.

Fabronia Jamaicensis Ltz. Priori affinis, sed laxe cæspitosa, in substrato (cortice arborum) arcte appressa prorepens. Caulis laxifolius, valde deplanatus, laxius foliosus; foliis longioribus, angustioribus longius dentatis. Cellulis brevioribus, alaribus quadratis multo paucioribus nervo tenuissimo. Capsula magis ovalis, ore non dilatato, paullo robustior. Hab. Ibidem ac præcedens.

Neckera (*Euneckera*, *Rhystophyllum*) *d'Orbignana* Ltz. Notis in descriptione expositis a diversis speciebus affinibus bene differre videtur. Hab. In Mexico leg. d'Orbigny.

(*Neckera*) *Entodon Wagneri* Ltz. *Cylindrothecio stenocarpo* Schpr. proximum, quod autem differt foliis omnibus latioribus, brevius apiculatis, apiculo obtusato, plerumque irregulariter eroso instructis supra basin vix constrictis. Thecæ *C. stenocarpi* in seta longiore angustiores, plantæ graciliores, ramis minus confertis. Hab. Vom Vulcane Pichincha aus der Gegend von Quito 9000—10,500' auf Trachyt, Juni 1859 leg. M. Wagner.

*) *Braunia Andrieuxii* Ltz. *B. sciuroidi* simillima,

*) Hunc museum Neckeram salutare calamus abhorret. Quod *C. Müller* inter *Subsect. II. Harrisonia* comprehendit, genera duo bene distincta puto, quorum alteri nomen *Harrisonia*tribuendum, alterum *c. Schimper*, *Braunia* nominandum esset.

differt autem foliis perichætialibus angustioribus, longioribus, distinctissime longitudinaliter plicatis, floribus masculis discoideis, foliis perigonalibus omnibus apiculatis, apice erosis. — (A *N. macropelma* jam foliorum forma, a *Br. Liebmanni* jam capsula longe distat.) Hab. Mexico, in monte St. Felipe prope Oaxacam leg. Andrieux.

(Neckera) *Pilotrichella Kraussei* Ltz. *N. Billardierii* Hpe. proxima, sed omnibus partibus robustior, ramosior, colore obscurius et saturatius viridi. Folia densius imbricata, latiora, basi minus constricta, nervis vix conspicuis, apice plane rotundata (*N. Billardierii* folia apiculo gaudent obtuso). Rete robustius; cellulæ grossiores, parietibus crassioribus. Theca longior, angustior, pedicellus minus flexuosus, perichætium angustius et longius vaginans. Peristomii dentes longiores, aurantiaci. Hab. Prope Valdiviam leg. Dr. Krausse.

(Neckera) *Papillaria Wagneri* Ltz. *N. denticulatae* proxima, differt autem: caule *Macromitrii* instar prorepente (haud pendulo) parte inferiore subnudo, hic illic radicante ramulos breviusculos rigidos, sæpe binatos emittente. Foliis valde longitudinaliter plicatis e basi latiore brevius acuminatis, nervo distinctiore, reti laxiore, dentibus marginis minoribus, cellulis alaribus (paucis) quadratis. Hab. Maume et Gorgone in Panama leg. Moritz Wagner Jan. 1858.

(*Pilotrichum*) *Meteorium stellatum* Ltz. A *P. squarroso*, patulo et flexipili Lindb. foliis integerrimis vel apice solum obsolete dentatis, a *P. flexipili* Lindb. proximo præterea foliis angustioribus recedit. Hab. In Surinam prope Paramaribo nec non in "Beaufort" Jamaicae leg. Wullschlægel.

(*Pilotrichum*) *Meteorium Wagneri* Ltz. Habitu inter *Meteoria* singulari, magis ad *Neckeram hexasticham* et rigidam accedente, a quibus autem jam foliis longissime recedit. Hab. Chiriqui in Panama leg. M. Wagner April 1858.

(*Pilotrichum*) *Meteorium scariosum* Ltz. *P. recurvifolio* subaffine, differt autem ab hoc et congeneribus foliis binervulis, margine subintegro, foliis patulis, haud recurvis. Hab. Prov. Chiriqui in Panama leg. M. Wagner April 1858.

*) *Hookeria blanda* Ltz. *H. albicanti* proxima, differt foliis majoribus tenuissime (unica tantum cellularum serie) mar-

*) *Hookeriam obscuram* Mont. Synops. II. 204 sterilem tantum descriptam, c. fr. a Dr. Krausse prope Valdiviam lectam accepi; Theca gaudet e collo brevi breviter ovali, quæ in pedicello purpureo, torto, glabro nutat; perichætium minutum, folia perichætialia subvaginantia, pellucida, ovato-lanceolato-acuminata, obsolete binervia, emarginata. Peristomii dentes exteriores incurvi, cruribus binis aurantiacis interstitio flavo, linea media ex arato conjunctis, dorso valde lamellosi; dentes interiores in membrana elata, pallida carinata, ciliis singulis brevioribus interpositis. Cal. glabra.

ginatis, integerrimis, capsula longiuscula, sub ore constricta. Hab. Bethhabaræ Jamaicæ leg. Wullschlægel 1849.

*) *Homalia Sakontala* Ltz. (Hypnum Glossophyllum Synops.) Hypno spathulæfolio et microdendro affine; a priori multo teneriori foliis nervo distinctissimo ultramedio instructis, apice irregulariter crenulatis longe diversum; ab altero habitu haud «subrotundato dendroideo» sed caule nudo, ramis distantibus subsimplicibus, foliis nervo distinctiore instructis, reti folii robustiore, usque ad mediam basin subhomogeneo, rhomboideo, haud elongato, plane alium aspectum præbente primo visu distinguitur. Hab. Inter Hypnum alopecuroidem reptans in India orientali leg. ?

Hypnum Martianum Ltz. A H. papilloso Hsch. jam statura multo teneriore, colore obscure viridi, seta glaberrima**), capsula brevi, subglobosa, foliis patentibus brevi-acuminatis, inflorescentia dioica longe discrepat; a H. Cubensi, cui habitu simile, jam cellulis alaribus maximis differt. Hab. Prope Paramaribo (Surinam) leg. Wullschlægel.

Hypnum subcircinale Ltz. H. circinali Hook. proximum, a quo autem foliis distincte binervulis, serratis, tela laxiore aureo-viridi instructis, foliis perichætialibus haud serratis bene diversum. Hab. In Fairfield Jamaicæ leg. Wullschlægel 1849.

Hypnum Reichenbachianum Ltz. H. Sommerfeltii proximum; reti folii autem lineari, pellucido optime distinguitur; ceterum habitu paullo robustiore, foliis majoribus gaudet. Hab. Ad urbem Mexico leg. Schmitz.

(Hypnum Tamariscella C. M.) *Thuidium urceolatum* Ltz. H. delicatulo Synops. Müllerianæ (Thuidio tamariscino Br. E.) valde affine, statura autem teneriore, caule primario brunnescente, capsula minuta tenera, sicca sub ore valde constricta jam primo visu distinguitur; paraphyllia nulla. Hab. Nazareth, Jamaicæ leg. Wullschlægel 1849. In Guadeloupe a Duchassing lectum cl. Müller accepit. J. M.

*) Nomenclatura hic a Synopsi recedo, quod nomen genericum «Homalia» jam in flora Javanica in plures species floræ propinquæ adhibitum est.

**) Icon H. papilloso in «Dz. A. Mkb. Prodrömus floræ Bryologicæ Surinamensis» et diagnosis in C. Müll. Synopsi, discrepant; effigies setam scaberrimam, capsulam glabram demonstrat, diagnosis setam lævem appellat. In exemplaribus compluribus (Martianis a Minis generalibus, et aliis a St. Catharina) capsulam et capsulæ collum valde papillosa inveni; papillæ autem mox humiliores evadunt et jam arcte infra capsulam evanescent; cetera seta glabra.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Hedwigia](#)

Jahr/Year: 1864

Band/Volume: [3_1864](#)

Autor(en)/Author(s): Milde Julius [Carl August]

Artikel/Article: [Buchbesprechung 182-189](#)